

*Attulerunt arcam Dei
et constituerunt eum in medio tabernaculi
quod tetenderat ei David.*

Léctio libri primi Chronicórum 15, 3-4. 15-16; 16, 1-2

In diébus illis:

- ³ **C**ongregávit David univérsum Israel in Ierúsalem,
ut afferrétur arca Dómini in locum suum,
quem præparáverat ei;
⁴ necnon et filios Aaron et Levítas.

[5-14]

- ¹⁵ Et tulérunt filii Levi arcam Dei,
sicut præcéperat Móyses iuxta verbum Dómini,
úmeris suis in véctibus.
¹⁶ Dixítque David princípibus Levitárum,
ut constituérent de frátribus suis
cantóres in órganis musicórum,
nablis vidélicet et lyris et cýmbalis,
ut resonáret fórtiter sónitus lætítiæ.

[17-29]

- ^{16,1} Attulérunt ígitur arcam Dei
et constituérunt eam in médio tabernáculi,
quod teténderat ei David,
et obtulérunt holocáusta et pacífica coram Deo.
² Cumque complésset David
ófferens holocáusta et pacífica,
benedíxit pópulo in nómine Dómini.
Verbum Dómini.